

SCRIPTA

Numéro Scripta : 7810

Auteur(s) : Sées (official)

Bénéficiaire(s) : Soligny-la-Trappe, Notre-Dame de La Trappe (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1255

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Par-devant l'official de Séez, Raoul, meunier, reconnaît avoir reçu de l'abbaye de la Trappe, à charge d'une redevance annuelle de vingt-huit livres tournois, le moulin de Buré, et être devenu, lui et les siens, hommes de ladite abbaye.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Charencey Hyacinthe (Comte de), *Cartulaire de l'Abbaye de Notre-Dame de la Trappe*, publié d'après le manuscrit de la Bibliothèque Nationale, Alençon, Renaut de Broise (Société historique et archéologique de l'Orne), 1889, D. « De Esseio et Bureio et circa », n° XXIX (« *Carta officialis sagiensis de eodem* »), p. 148-149.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis, officialis sagiensis, salutem in Domino. Noveritis quod Radulfus, molendinarius, in nostra presentia constitutus, in jure recognovit quod viri religiosi, abbas et conventus Domus Dei de Trappa, cisterciensis ordinis, tradiderunt eidem molendinum suum de Bureio, sibi et Odoni, filio suo, quoad viverent tantummodo, habendum et tenendum pro viginti octo libris turonensium anni redditus. De quibus tenentur ipsis reddere annuatim tredecim libras, et canonicis Omnium Sanctorum de Mauritania, loco ipsorum, decem libras, et capellano de Monte Isembert centum solidos, et monachis de Tyron decimam prati molendini, preter predictas viginti et octo libras prenotatas. Recognovit etiam quod predicti religiosi tradiderunt eis cum predicto molendino, quamdam petiam prati, sitam prope prenominatum molendinum, et herbergamentum pertinens ad illud molendinum, quam peciam prati dedit dictis religiosis defuncta Agnes de Cuirees, quondam uxor defuncti Gervassii de Vilers, habendam sibi cum prenominatis molendino et herbergamento et tenendam quoad vixerint tantummodo, pro redditu supradicto et pro tribus solidis anni redditus annuatim reddendis ad usum unius lampadis ante altare Beate Marie de Bureio, hoc addito, quod predictus Odo, filius predicti Rad[ulfi], post obitum predicti Rad[ulfi], patris sui, ipsis reddere tenebitur annuatim religiosis, preter antedictum redditum viginti et octo librarum, duas duodenas anguillorum inter festum beati Remigii et festum Purificationis Beate Marie. Tenentur etiam prenominati Rad[ulfi] et Odo predictum molendinum et herbergamentum ad illud pertinens in bono statu tenere, et quecumque necessaria fuerint ad predictum molendinum de suo proprio querere. Et, si forte contigerit quod antedicta molendinum et herbergamentum, cum ad dictos religiosos post obitum predictorum Rad[ulfi] et Odonis venerint, non fuerint in bono statu, de suo proprio debent emendari. Ad que facienda, predicti omnia bona sua, scilicet ad emendationem predictorum et ad tenendum in bono statu quoad vixerint, prenominatis religiosis obligaverunt. Sciendum est etiam quod solutio predictarum viginti et octo librarum debet annuatim fieri terminis annotatis, videlicet, in festo sancti Remigii debent solvi septem libre et dimidia et in Natali Domini sex libre et dimidia, et in Pascha Domini septem libre et dimidia et in Natali Sancti Johannis Baptiste sex libre et dimidia.

Preterea recognovit idem Rad[ulfus] quod ipse et Margarita, uxor ejus, et Odo, prenominatus filius eorum, sunt donati predictorum religiosorum, ita quod, post uniuscujusque obitum ex eisdem, medietas totius partis sue suorum mobilium, quecumque tunc habebunt, erit religiosorum predictorum, post quorum, scilicet Rad[ulfi] et Odonis, obitum predicta molendinum et herbergamentum ac petia prati supradicti ad supradictos religiosos deveniet, absque reclamacione aliqua seu contradictione heredum eorumdem. Voluit insuper prenominatus Rad[ulfus] quod prenominatus Odo, filius ejus, quoniam infra etatem erat legitimam, cum in etate fuerit legitima, agat, teneat et rata penitus habeat omnia supradicta, si tenere et habere voluerit de predictis religiosis molendinum et herbergamentum ac predicti prati petiam supradictam. Qui prenominatus Rad[ulfus] astrinxit se, fide prestita corporaliter, de tenendis et faciendis et fideliter et firmiter antedictis. Et nos, audita confessione sepediti Rad[ulfi], etc... Actum anno Domini M° CC° L° quinto.